3.

DE HELLEBORO DISCEPTATIO.

AVTHORE
IOANNE MANELPHO
ERETANO SABINO,
Medico, & Philoſopho Romano.



ROMÆ, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. 1622

Superiorum Permiſſu.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palat. Apost.

A. Episc. Hierac. Vicesg.

EGo Tiberius a fonte Medicus, Philosophus Eugubinus, ex commissione Reuerendiss. P. Fr. Nicolai Rodulfi Sacri Palatij Magistri, legi ea diligentia qua potui Opusculum Doctissimi viri Ioannis Manelfi Eretani, quod inscribitur. De Helleboro Disputatio, & nihil in ea inueni quod Sanctæ Rom. Eccles. repugnet, neq; quod possit pias aures offendere, neque quod aliquid contra bonos mores contineat. Datum Romæ tertia die Nouemb. 1622.

Ego idem, qui supra, manu propria.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Martinellus Soc. Reueredisf. P. Fr. Nicolai Rodulfij Sac. Apost. Palat. Magist. Ord. Præd.

ILLVSTRISS. PRINCIPI

D. D. PAVLO SFORTIO

Patrono Colendiſſimo.

IOANNES MANELPHVS
Fœlicitatem.





ISPVTATIONEM hanc de helleboro, quemadmodũ medicæ Academiæ iucundã, & vtilem: ita pariter aliquo Patrono dignam cenſeo. Cumq. tu Princeps Illuſtriſſime generis claritate, animi magnificentia, & qualibet virtutum celſitudine nemini ſis ſecun-

dus: sub tuis etiam auspicijs edendam curaui: Ratus nimirum eam non minore te alacritate tuendam accepturum, quam tuam ipsam valetudinem mihi sæpè seruandam commiseris: Vale. Romæ, Die 22. Nouemb. 1622.

Do-

Doctissimo, Eruditissimoq. Amico, & Condiscipulo

PETRO CASTELLIO MEDICO, ET PHILOS. ROMANO.

Ioannes Manelphus Eretanus Sabinus sanitatem.



NIMVERO verè dictum, quot homines tot sententiæ. Hinc Marsilius Cagnatus Medicinæ, & Philosophiæ Doctor eximius, tametsi in aph. concocta, doctissimam ediderit commentationem; nihilominus Prosper Martianus Saxolensis ab eodem maxime dissentit. Aetius Cletus Signinus, & ipse clarissimis rationibus Marsilij commentationem patrocinati fuimus. Tu verò Petre Ca-

ſtelle contraria nobis, & Præceptori tuo opinatus es: nimirum, trahit ſua quemque voluptas. atque hac tibi de cauſa facile ignoſco: Neque idcircò læſum me exiſtimo, quod nouæ ſententiæ faber ſis (licet Condiſcipulis tuis ſi humanius egiſſes, atq. vrbanius, ferēdus magis videbare.) Æquidem æqui, boniq. conſului verba tua, quamuis interdum aculeata. vtque alias conuenit inter nos, æquum eſt tu quoque, vt æqui, bonique conſulas hanc meam reſponſionem Caſtelle: cum præſertim ſententiarum diſſenſio, voluntatum conſenſionem, inter amicos non dirimat.

Conquereris igitur primo, in fol.6. epiſtolæ, ſcripta tua de vomitatorijs, nec dum in lucem edita, Actij Gleti inſignis Medici, atque meis di[illegible], valde fuiſſe offenſa: quando Melampodij nomine, quemadmodum Anticyrei

helle-

hellebori, nigrum intelligi, non autẽ album dicebamus. terque, quaterque, & pluries exclamas, nunc victum me, nunc labirinto Dædali implicitum, cœterisq. huiusmodi nugis nobiscum nugaris. Postremò autem in fol.8.eiusdem epist.tuæ, Ecce iam clarum videtur, concedis, helleborum nigrum vocari Melampodion, pro albo nullum adhuc inquis legi testem. Si id igitur, quod & vniuersalis Medicorum Academia vsurpauimus, quid Condiscipulos tuos frequentissimis vellicas dicterijs? Cur ergo cum Hipp. totaq. Græcorum Schola litem non suscipis, cur veteres Arabes, cur recentiores latinos tuo isto bello non lacessis? fortasse quia nobiscum, tuisque studiorum charissimis Collegis iocari cupias mi Castelle: Eia igitur, vt vtque tibi placuerit, enucleemus hanc, & alias helleborinas quæstiones.

Helleborum, inquit Plin. lib. 25. cap. 5. Itali veratrum vocauerunt, eo quod mentem vertat, vt Columella cum alijs atteſtatur. Græci verò helleborum dictitauere ex eo, quia cibum corporis eripiat. Dicitur etiam helleborum à Luſitano in Dioſc. enarrat. 151. & 152. ab Helleboro fluuio propè Anticyram, vbi optimum reperitur.

Eiuſdem hellebori duæ potiſſimum ſunt ſpecies, album ſcilicet, atque nigrum cum Plin. & album ex radice amplius enunciauere; quando cùm nigri radice comparata candida ſit etiam: Vnde Aul. Gell. 17. noct. Attic. cap. 15. Coloris diſcerniculum non in ſemine tantum, ait, neque in virgultis, ſed in radice apparere.

Helleborum nigrum, vt legitur in Plin. ibidem, & neotericè, magiſq. diffuſe in Rhemberto Dodonæo Me-

chli-

chlinensi lib. 2. Pempthadis 3. græcè ἐλλέβορος μέλας, dicitur; à nonnullis μελαμπόδιον, πολύῤῥιζον, μελανόῤῥιζον, περίπιον, κυεάνιον, αὐτικυεάνιον, ἔκτομον, ἐκτομον.

Baptista etiam Codroncus in libello proprio de helleboro cap. 1. Elleborum, inquit, nigrum aliqui vocauerunt entemon, alij polyrrhizon à radicum multitudine, alij Euchymon à bonitate saporis. plerique verò Melápodion dixere ab inuentore Melampode Vate, vt scribit Plin. lib. dicto. 25. c. 5 vel à pastore eiusdem nominis, qui cū animaduertisset eo purgari capras, furentes in se Prœti filias Elegem, & Cælenem in Archadia prope fontem Clitorium purgauit, & sanitati restituit. Ex quo Melampus idem græce καθαρτὴς purgator nimirum dictus consequenter fuit: vel quia Proeti filias lustrationibus purgasset, vt tradit Seruius in interpretatione Virgiliani versus lib. 3. Georg.

Qua-

Quæsitaque nocent artes, cessere magistri,
Phillirides, Chyron, Amythaoniusque Melampus.

Helleborum album nascitur in mõtibus frigidis, & asperis locis, vt optimi quique Authores tradunt. Cyrenaico primas tribuit Diosc. Oetæum verò, Ponticum, Eleaticum, & Massaloticũ optima esse, & vsitatissima: hisque & alijs omnibus Oetæum, & Antycirinũ præferenda esse arbitrantur Theoph. & Oribasius. Galaticum, Cappadocium, Armenum, & alia quoque deteriora esse affirmantes: quod tamen in Italia nascitur non esse spernendum Brasauolus senior arbitratur, quamuis minus validum, quam alia experiatur ex Petri diuersi sententia.

Helleborum nigrum oritur in collibus siccis, & asperis, & vbique ferè locorum, inquit Plin. ibidem, cũ Theo-

phr.

phr. Probatissimum tamen, & optimũ in Anticyra; quæ in Locide, seu Phocide est sita, in Helicone, Parnasso, & Aetolia prouenit cum Diosc. Vtriusq. hellebori tota radix eligi non debet, sed earum cortex carnosus tantum, & interior medulla abijcienda est, necnon tota radix cæpis persimilis.

Albi radices mensibus æstiuis colligendæ sunt, & in altissimis montibus ex Dioscor. Plin. & aliorum plurium sententia, atque præsertim Syluij, Manardi, & Costæi in simpl. Mesue. Fuchsij de hist. plantarum, c. 104. Machelli in lib. de morbo Gallico, Duranti in suo Herbario, & aliorum similiũ. Quamquã ex altera parte Theophr. lib. de hist. plant. 9. c. 11. tempestiuũ Autumno, Vere autẽ intempestiuum dicat album helleborum. Vnde Vueccherius de rad. purg. Albi radices æstate, vel Autumno colligendas docuit.

Ea-

Earundem præterea albi veratri ſuccisione radicum veteres, & capita aggrauari experti ſunt authore Theophraſto, & alijs: ideoque celeriter effundi, & allia præſumi, vinumque præſorberi ijdem præcipiebant.

Nigri radices vere, vel Aeſtate cum Meſue excærpi debent, atque recenter Vuecckerius 1. de rad. purg. idem cōprobat cum pluribus alijs: in quarum collectione ſuperſtitioſa antiquitas ſub religionis ſpecie obſeruabat, vt primū gladio planta circumſcriberetur (Plin. & Dioſcor. ibidem etiam idem confirmant) deinde qui exciſurus erat ortum ſolis expectaret, & præcaretur vt id liceret ſibi permittentibus Dijs facere, obſeruaretq. Aquilæ volatum, quæ ſeu potius Dæmon (vt doctiſſimè inquit Codroncus) ſub ſpecie Aquilæ incidentibus intereſſe ſolebat: & ſi prope aduolaret, moriturum illo anno illum; qui

ſuc-

ſuccidebat augurium erat. Hoc etiam helleboro priſci illi domos ſuffiebant, ac luſtrabant, ſeu purgabant ſe ſe aſpergentes, & pecora cum præcatione ſolemni, & excantatione quadam.

Et denique cum Gal. lib. 6. Sympl. Oribaſio lib. 15. Collect. Aetio Tetrab. 1. ſerm. 1. ac Paulo Aegineta, & alijs: helleborum vtrumque excalfacere, & exſiccare ordine tertio ſciendum eſt: nigrum tamen guſtu calidius, candidum verò ſubamarum. Meſue autem nigrum arbitratur calidum, & ſiccum eſſe ordine tertio: album calidum, & ſiccum in medio tertij: quod teſte Dioſc. vomitione varios humores; craſſos verò, ac viſcidos authore Aetio, & ſeceſſu purgat, atrabiliarios etiam extrahere, & ichores, præter Braſauoli ſententiam patet ex curatione eorum morborum, qui ab huiuſmodi vitioſis ſuccis fiunt. Quemadmodum helle-

borum nigrum purgat ventrem, inquit Dioſc. in cap.proprio lib.4. detrahit bilem, pituitaſq. datum per ſe: & ex Aetio niger atram, flauamq. bilem è corpore vniuerſo abſque multo labore per aluum ducit.

Cunctis his ex varijs Authoribus, optimiſque prælibatis, & compendioſè ſuppoſitis (qui plura exoptet, vetuſtos, ac nuperos conſulat ſtirpium ſcriptores) Melampodij nomine helleborum nigrum intelligi dicebamus docte Caſtelle, quoniam ex Hipp.id primo colligitur Medicorũ parente, atque præſertim in epiſt. quadam ad Crateuam, vbi incerta eſt legitur, coniectura eorum, qui in purgationibus cautè procedunt: namque & ſtomachi ad flictionem veremur, καὶ ξυμμετρίην φαρμακείης ad naturam ignotam coniectamus. Stabiliores autem ſunt purgationes per veratrum, quibus etiam Me-

lam-

lampus in Proeti filiabus; & Antyciræus in Hercule vsi esse narrantur. Ecce igitur stomachi adflictionem veretur Hipp. quæ ex albo nascitur helleboro, atque stabiliores purgationes laudat, quas nigro magis, quam albo cóparari nemini dubium est. Vnde Melampodij nomine non album, sed nigrum intelligendum est. cum in Proeti filiabus, vel Hercule, eodem quoque Melampus vsus fuerit.

Secundo Theophr. 9. de hist. plant. cap. 11. nigrum verò, inquit, ab eo qui comperit, & primo succidit Melampodion quidam appellant, quo & domos lustrant quadam cum incantatione.

Dioscor. vt alibi diximus, docuit idem lib. 4. cap. 134. vt etiam Oribasius lib. 7. Collect. cap. 27. & alij.

Inter latinos eidem sententiæ suffragati sunt, Plin. lib. 25. cap. 5. nuperrimè

mè verò Manardus in Simpl. Meſue ſuper cap. proprio hellebori. Gorræus in definitionibus medic. in verbo μελαμπόδιον. Codroncus in lib. proprio de helleboro. Tagautius Vimacius de ſimpl. med. purg. facult. lib. 2. c. 3. Ioan. Langius epiſt. 74. vbi de Peonia, Scolopendria, & Seſamoide. Amatus Luſitanus in Dioſcor. lib. 4. enarrat. 151. 152. Hieronymus Mercurial. prælect. lib. 2. cap. 7. Ianus Antonius Saracenus Lugdun. in Scol. in Dioſcor. Ioannes Ruelliùs lib. 3. de nat. ſtirpium cap. 139 Matthiol. cum de helleboro nigro. Hiſtor. general. plantarum Catharticarum per Gulielmum Rouillium editam, lib. 16. cap. 6. quando ἐλλέβορος μέλας, μελαμπόδιον, ἔκτομον, πολύῤῥιζον, μελανόῤῥιζον, Latinè helleborus niger, inquit, veratrum nigrum, quibuſdam Luparia, Arabicè Cherbachem ſeu Charbech, Aſued. Italicè elleboro

nero

nero, Gallicæ, ellebore noir. Et denique nullus reperiatur medicus, qui Melampodij nomine helleborum albũ intelligat; contra verò nigrum esse omnes Melampodium interpretãtur. Sed quid opus auctoritatibus, cum vnica opinione tua contentus à cœteris omnibus Castelle dissentias?

Helleborum nigrum insuper Melampodij nomine intelligi affirmabamus ex dictione græca μέλαν quæ nigredinem significat. quæ verba nihil etiam facere Castelle fol. 8. eiusdẽ epistolæ tuæ inquis. Et nihilominus interpretatio nominis quæ Ciceroni notatio, etymologia græcis: inter primas sedes argumentorũ enumeratur à Rhetoribus, & est cũ Philosophis, ac Theologis, quam oratoribus, & Poetis frequentissima: non enim censendum est temerè, at prudentissimè à maioribus nomina rerum fuisse imposita: præ

ſertim verò cum nomina eadem ex plurium commixtione compacta veniunt, vt in Melampodio accidit. Vnde Ouid.

A ſenibus nomen mite Senatus habet.

& illud.

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

Quinctil. lib. 5. cap. de argumentis etymologiam inter partes definitionis collocauit, ibique locupletem à locorum, pecunioſum à pecorum copia dictum.

Cicero etiam in partitionibus oratorijs, in primis, inquit, commouet explicatio vocabuli, ac nominis, & in Topicis, multa etiam ex notatione ſumũtur, ea eſt autem cum ex vi nominis argumentum elicitur, quam Græci etymologiam vocant; quia verba ſunt rerum notæ; itaq. hoc idem Ariſt. ſymbolum appellat, quod latinè eſt nota.

Neq;

Neque ex eadem dictione μέλαν discedentibus nobis μελαγκρανίς ex Gorræo lib. definit. med. species est palustris iunci fructum ferentis; in modum vuarũ cohærentium; in quibus cuspidatum semen clauditur, sic dicitur à nigro cacuminis colore.

μελάμφυλλον dicitur ὁ ἄκανθος, authoribus Diosc. & Plin. nec dubium quin à nigro foliorum colore.

μελάνθιον gith frutex est exilibus surculis sæpe binos dodrantes excedens, folijs vt senecionis, munitis, sed multo tenuioribus, capitulo in cacumine tenero, paruo, seu papaueris, oblongo, intercursantibus intus mẽbranis, quibus semen includitur nigrum.

μελαντηρία atramentum scilicet metallicum à nigredine etiam dicitur.

μέλας emplastrum quoddam nigrũ est, inquit etiam idem Gorræus ibid.

μελάμπελος herba, alio nomine hel-

 xine,

xine, quidam ex latinis vitem nigram appellant.

μελάμπυρες herba in segetibus nascẽs teste Theophr. aliàs miagros appellatã latinè sonat frumentum nigrum.

μελαγχόλικος qui nigra bile plurimũ abundat præter omnes Medicos, & Phylosophos, id etiam Cicero docuit 1. Thusculan.

μελάγχλαιναι Scythiæ populi nigris vestibus appellantur.

μελαγκόρυφος auis, quæ & ficedula ab Athenæo dicitur lib. 2. dipnosoph. cap. 26. quod κορυφὴν scilicet μέλαιναν, idest verticem nigrum habeat, latinè atricapillam cum Plin. lib. 37. cap. 8. vocare possumus.

μελχλιὼν flos dicitur sub nigri coloris.

μελάνουρος piscis est saxatilis nigricantem habens caudam, de quo ille, haud facili paruus Melanurus fallitur arte.

Est præterea Melanurus apud Cœl.

lib.

lib. 34. cap. 23. Serpentis genus præcipueq. in Lybia, & Arabia nascens, vipera minus, sed ad inferendam perniciem multo velocius. morsi ab eo siti torquentur, immodicequè bibentes sibi necem inferunt. Cauda lineis duabus nigris distinguitur, vnde & nomen accepit corpore reliquo albicante.

μέλας insuper nomen est fluuij in Beotia præsertim existens, cuius aquas oues nigras efficere scribit Plin. lib. 2. cap. 130.

μελάμπους Amithaonis Argiui, & Doripes filius teste Homero ad lib. 15. Odiss. vel filia Abantis Idothea natus, vt inquit Angelus Polit. in suis miscell. cap. 1. Melampus inquam nomen accepisse fertur, quod mater infantem exposuerat toto corpore tectum, præter quam pedibus, qui à sole atro colore attracto nomini caussam dederunt,

ex *μέλαν* ſcilicet, quod nigredinem, & *πούς*, quod pedem ſignificat: Melampus nimirum, virum pedibus nigrum ſonabat Græcis. Cum autem & veratrum nigrum, nigris pedibus, ſiue radicibus exiſtat, vnde ſuperioribus *μελανόῤῥιζον* etiam dictitabatur: cur igitur nomine Melampodij nigrum helleborum non intelligatur? Cum præterea dictio *μέλας* antonomaſticè Hipp. veratrum nigrum ſignificet. vt colligere eſt in lib. de rat. victus in morb. acutis. pag. 56. verſ. 6. *μέλανι*, videlicet, *μετὰ δαῦκον, ἢ σέσελι, ἢ κύμινον, ἢ ἄλλο τι τῶν εὐωδέων μίσγοντα.* Veratro quidem nigro daucum, aut ſeſeli, aut cuminum, aut aliud quid boni odoris admiſcebis. Et verſ. 8. ibidem *ἄγει δὲ μέλας μὲν καλλίω δὲ κρισιμώτερα πεπλίου. πέπλιον δὲ μελάνος μᾶλλον φυσέων καταῤῥηκτικώτερον ἐστίν.* Veratrũ autem nigrum tum melius, tum ad iudicationem accommodatius, quam

pe-

peplium ventrem ſoluit. Peplium verò nigro veratro melius flatus educit, perrumpere facit.

Audio Caſtellum ad hæc reſpondere, Melampodion plantam haud ex pedum, vel radicum nigredine, ſed Melampodij viri dictione propria denominationem ſortiri, Melampodion, ſcilicet herba qua Melampus vir nomine dictus vtebatur: Melampus autem ex ſua pedum nigredine denominabatur, vt modò probabamus.

Profectò nigrum veratrum cum ſuis radicibus nigris, quemadmodum & aliarum plantarum maiorem partẽ, ex prima vniuerſi conſtitutione realiter fuiſſe, nemini dubium eſſe mihi perſuadeo.

At Melampum ex ſuis nigrefactis à ſole pedibus appellatum, Poeticam potius fabellam dixerim, quam hiſtoriã.

Probus certè Maronis interpres hãc

fabulam Apollodoro tribuit, Politiano ibidem referente. Vnde Melāpus haud ex sua pedū nigredine, sed ex hellebori nigri colore potius nomen, vel pronomē accepit. Propriè igitur, & oppositè Melampodion ex voce μέλαν, quæ nigrum sonat, nigrum helleborum interpretamur. Atque μέλαν ad Melampodij, vel hellebori nigri dictionem significandam, nihil facere dicendum non erat, perdocte, diligens, & oculate Castelle.

Melampus itaquè vel fuerit pastor cum Dioscoride, & Plinio. aut vates quemadmodum Plin. ibidem lib. 25. cap. 5 dicto. cui assentitur Atheniensis Apoll. in sua bibliotheca cum cœteris ferè omnibus: atque præsertim cum Porphirio lib. 3. qui etiam illum brutorum sermonem probè nouisse, & intellexisse scribit: veluti Synesius in lib. de insomnijs illius tamquam somnio-

rum

rum interpretis doctissimè meminit atque Pausanias de eodem in Corinthiacis scribit, Eustachius, & ante hos Diodorus lib. 5. & alij. Vel denique pastor, & vates simul fuerit idem Melampus, vt etiam non nemini placuit (quando cum Varrone lib. rerum rusticarum 2. cap. 1. de Antiquis illustrissimus quisque pastor erat) Vtcumque demum fuerit, Prœti filias, & Herculem nigro helleboro, non autem albo Melampum curasse optimo iure asserebamus.

Atque, vt paulo altiùs orationem redordiar, hoc primò docuit Hippocr. in epist. superius allata. In eandem sententiam conspirarunt ferè omnes ij Medici, qui Melampodij nomine nigrum significarunt. Et deniquè tu ipse mi Castelle volens nolens Condiscipulorum tuorum dictis subscripsisti. In folio inquam octauo epistolæ tuæ ita

item

item loquens. Quando autem in insanis vtendum albo, quando verò nigro: fidus optimusque Hipp. interpres Celsus lib. 3. cap. 18. clarè docuit. Insanientibus nimirum si tristes, nigrum helleborum deiectionis gratià: si hilares erint, album ad vomitum excitandũ dari debet. Sed sic est Prœti filias, & Herculem tristitia insanas fuisse, haud cum hylaritate. Ergò nigro helleboro, non albo fuisse curatas fatendum est.

Quamquam etenim, vt bene docuit Cœl. Aurel. Siccensis lib. 1. Chronicõ. cap. 5. furor nunc iracundia, nunc hilaritate, nunc mœstitudine, siue vanitate occupet mentem; nunc timore comitante inanium rerum, sicut quidam memorauerunt, vt nunc speluncas, nunc lacunas, ne in easdem concidant, vel alia quæ terrori esse possunt; Nihilominus Prœti filias, quando Vac-

cas se esse putabant, neque alia erat ipsarum insania, cum tristitia insanas fuisse, certissima res est.

Etenim Lynceus, siue Linus post Danaum patruum Argiuis regnauit, suscepitque Abãtem, Iasium, & Acrisium filios. Abas vir ingenio, & bello potens patri in Regno successit, Pritumquè, vel Prœtum genuit. Prœto Stenoboe coniux fuit, siue Antiope ex Homero, ex qua insuper tres filias habuit: nempe Lisippen, Iphinoem, & Iphianassem, cum Apollodoro in bibliotheca; vel Ælianum penes in omnifaria historia Elegen, & Celenen, & vt alij addunt Mœrã, Euriden, siue Eurialẽ. Hę pulchritudine elatę filiæ, cũ se Iunoni præferre ausæ fuissent, ab eadẽ furiosæ redditæ sunt, adeo vt Vaccas, deinde, se esse putarẽt, perq. syluas mugiẽtes errarrent. Vnde Virg. in Sileno.

Prœtides implerũt falsis mugitibus agros.

Prœ-

Prœtus pater, vt filiæ suæ furorem euaderent, cuicumque, qui easdem sanaret, vnam quam mallet coniugem, Regnique partem spopondit. Quarè Melampus Amythaonis filius, easdem, vt plurimi grauissimi sentiunt Authores, helleboro sanauit. Vnde ex Dioscoride Prœtion quoque eadem herba in posterum appellata est. Tametsi recentior author Boccaccius lib. 2. de Geneologia Deorum cap. 28. 29. 30. easdem referat Prœtidas apud Clitorem Archadiæ Vrbem à Melampo fuisse deductas, vbi è spelunca quadam profluit aqua, quæ bibentes abstemios facit. Concinit Ouid. 15. Metamorph.

Clitorio quicumque sitim de fonte leuarit,
Vina fugit gaudetque meris abstemius vndis;
Seu vis est in aqua calido contraria vino,

Siue

Siue, quod indigenæ memorant, Amythaone natus
Prœtidas attonitas postquam per carmen, & herbas
Eripuit furijs, purgamina mētis in illas
Misit aquas, odiumque meri permansit in vndis.

Sextus Empiricus Pyrrhoniorum 4. Polyanthum Cyrenæum dicere testatur in lib. de Asclepiadarum genitura, Prœti filias ab Æsculapio fuisse ab insania liberatas, in quam Iunone irata incidissent.

Quomodocumquè autem Prœti filiæ sanatæ fuerint: se Vaccas putasse neutiquam fabulosum videri debet, inquit Politianus in suis miscell. cap. 50. Siquidē Paul. Aegineta Medicus Græcus Author in 3. periodeutico de atra bile, deq. insania ipsa agens, vsu quoque venire ait vti quidam sibi brutæ animantes esse, vocesque imitari illarum

rum

rum videantur. Prætereaq. nonnullos arbitrari se vasa esse testacea factos, tum autem ob id metuere ne confringantur. Cœl. etiam Aurel. lib. 1. chronicon. cap. 5. furens, inquit, alius se passerem existimauit, alius laterem, alius Deum, alius Oratorem, alius Tragedum; vel Comædum, alius stipulam ferens mundi se certum tenere, alius se sustentandum manu poscebat, vagiens vt infans. Sed de his casibus, maxima sylua est apud varios authores: atque præsertim in ordine ad melancholicos, legenda sunt huiuscemodi apud Gal. lib. 3. cap. 6. de locis affectis. apud Aetium Tetrab. 2. serm. 2. cap. 9. Apud Alex. Trall. lib. 1. cap. 17. Atque nuperrimè apud Schenchium lib. 1. obseruat. med. 253. Quidquid inquã de huiusmodi sit: Insanas Prœti filias, quando vaccas se esse putabant, haud cum hylaritate, sed tristitia fuisse con-

 fir-

firmandum est. Cum etiam Vaccæ ipsa sui specie, ac forma tristes prospicientibus appareãt, atque insuper, motu tarda sint animalia, necnon etiam alimento crasso, & potius melancholico sint, apud omnes Medicos. Indicia certè omnia quæ non hylaritate, sed cum tristitia laborasse arguunt insanas Prœti filias. Ergò etiam nigro helleboro, non autem albo fuisse curatas à Melampode affirmandum est.

Hercules præterea, fabulãtibus Poetis, cum apud inferos Mægeram vidisset, in furorem versus est: vnde regressus filios imprudens occidit, Seneca in Tragœd. referente. Ex quo Lucanus lib. 1.

Aut qualem iussu Iunonis iniquæ
Horruit Alcides, viso iam Dite, Megæram.

Arist.sect.30. probl. subijciens exẽpla Heroum, qui atra bile laborasse di-

cun-

cuntur, in primis de Hercule agit, ea ipsa inquiens hic natura fuisse putatur: & morbum comitialem sacrum ab illo & Herculeum prisci nominauere, & in liberos suos pauor, vel mentis excessus (benè sanè vertit Polit. in miscell. c. 90. & eruptio vlcerum ante mortem ipsius in Oeta. id enim plerisque atra bile cōsistit. Atrabiliarius igitur Hercules erat, & proinde tristis etiam, nequaquam verò hylaris. quemadmodū antiquissima eiusdem simulachra, quæ infinita hic Romæ visuntur, etiam demonstrant.

Sed audiamus in hac re plures Doctores cum Gal. in lib. de atra bile. Videmus enim, inquiunt, etiam extra corpus nihil nobis ita horrendum, veluti sunt tenebræ. cum igitur velut caligo quædam rationali animæ circumfusa fuerit, necesse est timere hominē, vt qui caussam timoris secum in corpo-

re circumferat. Sicuti amplius refert Schenchius, quem supra retulimus, in profundis tenebris pueri timent, itemq; adulti imperiti: ita etiam atræ bilis color velut tenebræ rationis locum obumbrans timores efficit.

Quid ergò, albo nè, an verò nigro Herculē sanatum ab Anticyræo dicendum? Sanè, cum timore tanquam atrabiliarius, cum etiam tristitiæ obnoxius, & opportunus esset, vt ex alijs probabamus, nigro asserendum est; quandò aliàs affirmando præpostere Anticyræum egisse sequeretur: quod ex euentu & eiusdem Herculis consequuta valetudine, nequaquam dici valeat. Vnde nigro helleboro sanatum Herculem etiam, atque etiam & sentiendum, & prædicandum est. Subijciendo his amplius, appositum in rē nostrā grauissimi Authoris Celsi præstantissimi Medici oraculum, qui lib. 2

cap. 12. veratrum nigrum, inquit, vel atra bile vexatis, aut cum tristitia insanientibus, aut ijs quorum nerui parte aliqua resoluti sunt, datur.

I nunc, & prædictis cum rationibus cum etiam Doctorum consensione, victorem te prædica profligate Castelle. I, atque de Anazarbæo milite (hoc enim nomine Dioscoridem cõtemnere videris) voce tenus triumpha. In fol. nimirum 9. eiusdem epist. tuæ. Ex his constat, inquis, Dioscoridem in Poetarum, & Hystoricorum libris fortè parum versatum æquiuocasse de Melampodij nomine: & alibi victũ Dioscoridem dictitas. Bona cum tua venia dixerim amice mi, atque amantissime Condiscipule, de magnis viris bene semper loquendum est, optimaq. cum reuerentia. Vir fuit Dioscorides in re herbaria nemini secundus. vnde forasse Dioscorides à Dioscuro Sedoch

filio,

filio, qui vires herbarum ad medicinæ opportunitatem, vſumque inuenit, dictus eſt, vt ſentit Sanchoniaton Berutius à Philone Biblio tranſlatus.

Audi etiam Galenum de hoc magno viro quàm bene loquatur: ſexto nimirum de Simpl. med. facult. Dioſcorides Anazarbæus quinque libris vtilem omnem materiam medicam abſoluit. nec herbarum modò, ſed & arborum, fructuum, ſuccorum, atque liquorum meminit, inſuperq. metallicorum omnium, & partium animalium. Et mihi quidem omnium perfectiſſimè videtur medicamentorum materiam tractaſſe. & ſi enim qui illum anteceſſere, de ijs bene ſcripſiſſe reperiuntur, nemo tamen omnium æquè de omnibus.

Et quarto de med.comp. ſecundum genera hæc habet. Dioſcoridem medicinalis materiæ ſcriptorem, nulli eo-

rum qui in ea quaſi arena deſudarunt ſecundum eſſe quiſquam dixerit.

In priore præterea de antidotis libro. Quæ nam quacumque in regione medicamenta optima proueniant,cum Dioſcor. tum & alij verè ſcipſerunt.

Ibidem, de omni medica materia Dioſcor. quinque libris ſatis ſuperque ſcripſit, à quo tum alia diſces, tum & notas guſtu, obſfactuq. perceptas, quibus probatiora medicamenta certiſſimè cognoſci, & ab improbatis diſcerni queant. In quibuſdam verò & perceptas oculis qualitates reperias, quæ haud parum vtilitatis afferunt.

Sed cur omiſimus locupletiſſimum teſtem Suidam? Dioſcorides inquit ille, Anazarbæus Medicus, cognomento Phacas, quaſi lentiginoſus, à lentiginibus ita dictus, quibus illius facies dehoneſtabatur, Vixit cum Cleopatra, Antonij temporibus,ſcripſit libros medicos

dicos vigintiquatuor; qui quidem magnopère celebrantur. Cunctos deniq. Medicinæ si consulamus Doctores in Dioscoridis laudes profusi sunt, tu tamen vnus eundem irridere etiam, atq; etiam Castelle ausus es.

Tutela, & patrocinio opinionis tuę, ideò quidem dicis Prœti filias albo helleboro curatas, quoniam & idem Gal. docuit in lib.de atra bile. Date manus insuper, herbã porrigite victori inquis, Gal. æquiualet an superatur à Dioscor.

Sanè verba Gal. vt tu ipse legit interpres Bartholomæus Syluanius. Quãquam scilicet, priores eo non solum Philosophi & Medici, sed omnes vulgò affectum quendam melancholicum vocant: purgationeq. albi hellebori aggrediuntur. Nemo enim inter Græcos enutritus, ita est ruditer institutus, qui non legerit, vel audierit Prœti filias furore percitas à Melampode sic purga-

tas fuisse. In margine verò, hellebori nigri fortasse legendum, ibidem adnotatur. Non igitur nos ipsi tantummodò, verum etiam alij, ijque grauissimi Authores Prœti filias nigro helleboro sanatas affirmarunt: & Gal.verba notariorum incuria deprauata fuisse existimant.

Secundo Galenum tametsi idem loquutum fuisse dicamus, proculdubio cum Dioscorides contrarium edocuerit, maior est Dioscoridi habenda fides in hac re, quam Galeno, cum ex argumentis supra allatis, tum etiam quia Dioscorides Gal. antiquior longè fuit.

Quod verò Theophrastus lib. 9. de hist. plantarum cap. 11. nigrum helleborum dicat æquos, boues, suesq. necare affirmant, idcircò eum cauere; candidoq. pecudes nimirum vesci, atq. hinc primo vim deprehensam, cũ illo pecudes purgarentur, nihil facit contra

tra nos: cum non ex ſe, ſuaq. ſententia loquatur, ſed affirmant, inquit ibidem, Theophraſtus: quo eodem loquendi modo, & Plin. etiam in hanc rem vtitur. Non enim huius ſententiæ erat fortaſſe Theophraſtus, quando in eodem lib. de hiſt. plantarum cap. 15. ex animi ſui ſententia pronuncians, huiuſcemodi verbis vtatur. Et quidem Archades pro medicamento, quod aluum purget, lac ſorbere conſueuerunt in Vere: cum ſucci huiuſmodi foliorũ maximè vigent: tunc enim potiſſimũ lac vim medicaminis habet. Bibũt bubulũ; quod bos inter animalia omnia permulta paſcere, varioq. herbarũ genere veſci videtur. naſcitur apud eos vterque helleborus, videlicet, & albus, & niger. An igitur in hac regione, lac bouum ideo purget, quandoquidẽ, & vtroque helleboro veſcantur, neque ab eodem hic interficiantur boues?

Secundò licet vera ſint, quæ Theophraſt. refert, helleborum videlicet æquos, boues, ſueſq. necare; non illud ſequitur vt ab eodem interficiantur capræ: cum interdum quod alteri nocet, alteri proſit. ſic ſturni cicuta vefcuntur, aſini verò interficiuntur. Concinit Lucretius à te citatus.

Præterea nobis veratrum eſt acre venenum,
At capris adipes, & coturnicibus auget.
Quippe videre licet pingueſcere ſæpè cicuta
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenum.

Ideò autem nigro veratro capras interfici forſan exiſtimas, quoniam vt apud eundem Theophraſtum eſt, pecudes albo veſcuntur, purganturque, ſub nomine autem pecoris cum Varrone lib. 2. de re ruſtica, plura anima-

lia continentur. pecora, nimirum, maiora, vel minora sunt. ad minoraque sues, oues, & capræ reuocantur. Proindè si pecora, quo etiam capræ nomine censentur, helleboro albo purgantur: ergò idem & de capris affirmandum est. Cumque amplius Melampodion, siue helleborum nigrum à pastore eiusdem nominis appellari dicitur, qui capras purgari pasto illo animaduertens, datoque lacte earum, & Prœtidas furentes deinde sanauit: falsum asseri ex Dioscor. ais Castelle.

In qua re animaduertendum primò erat Prœti filias lacte pecorum, siue caprarum purgatas à Melampo fuisse, Dioscoridem nequaquam dixisse, vt certissimum à te ponitur. Helleborum nigrum, & hæc sunt Dioscoridis verba in lib. 4. cap. 134. appellatur Melampodion, quoniam caprarum pastor nomine Melampus furentes in se Prœtidas,

pri-

primus purgasse, & sanasse fertur. Fortasse dicet aliquis, non lacte caprarum, sed proprio ipso helleboro Prœtidas purgauit, ex Dioscoride, Melampus. Plin. quidem est, qui illud retulit, vbi sic ait. Aliqui pastorem eodem nomine inuenisse tradunt, capras purgari pasto illo animaduertentem: datoq. lacte earum sanasse Prœtidas furentes.

Deinde quid obstat dicere, & albo, & nigro purgari capras: Experiundi gratia vtrumque exhibitum fuit à peritissimis Medicis, & à neutro mortẽ, sed purgationem receperunt capræ.

Ad hoc autem experimentum respondebitur fortasse, helleborum illud verum non fuisse, cum Medicos inter Doctores ambiguitas non parua sit circa veri hellebori cognitionem, vt vnusquisque in historia vniuersali plantarũ per Gulielmum Rouilliũ editam perlegere poterit. nec non apud Leonardum

dum Fucsium in lib. de nat. stirpium cap. 105. apud Vueccherium in Antidotario, apud Langium in epist. 74. & alios quamplurimos Authores, quos omnes breuitatis caussa in præsenti omittimus. At verò helleborum illud fuisse verum, ex subsequuta commoda purgatione cognoscitur.

Vt autem ad quæstionem nostram redeamus, stabiliores, inquit Hipp. purgationes sunt per veratrum, quibus Melampus in Prœti filiabus, & Anticiræus in Hercule vsi esse narrantur. Sed purgationes per nigrum helleborũ tutiores sunt, quam per album, vt Mesue cum pluribus alijs edocuit. Ergó nigro, non albo helleboro, Prœtides, & Hercules curati fuere.

Quamquam ex altera parte nonnullos asseuerare scio, tutiorem fieri purgationem per album, quam nigrum; cuiusmodi inter cœteros nuperrimè

Pe-

Petrus ſaluis fuit lib.de affect. particularibus cap. 19. cum de rabie. itemque Matthiolus Senenſis: Verum,vt perbenè Luſitanus enarrat 151.152.in Dioſcor. loquitur, huiuſcemodi quæſtionẽ diluendo, non aliundè, inquit, diuerſitas hæc exoritur, quam ex regionum diuerſitate (Acceſſit etiam huic ſententiæ Coſtæus in Meſue.) vna enim in regione albus potentior nigro eſt, in alia verò niger albo. Plures autem,ſubdit, nouimus herbas, quæ vno in loco ſuas exactè ſeruant naturas, alibi verò ab illis degenerarunt, vt in cicuta videre eſt: quinimmò in animalibus quoquè id euenire certi ſumus, vt de ſerpentibus de araneis, & alijs varijs animalculis, quæ in regionibus frigidis venenoſa non ſunt, alibi verò veneno non carent. At vero plures ſunt,qui purgationem ex nigro tutiorem affirmant, quam qui ex albo. Vndè Plin.
refe-

referente ibidem, Herophilus helleborum album fortissimi Ducis similitudini æquabat. Senibus, & pueris cum eodem Plin. album dari vetant; itemq. mollis, ac fœminei corporis, animiuę exilibus, aut teneris, & fœminis minus quam viris, vel timidis. Ista verò de nigro haud affirmat Plin.

Manardus in Mesue quamquam exercitatissimus vir: ego inquit nunquam albo vsus sum veratro.

Vuecckerius cap. 11. lib. 4. Antidotarij generalis, veratro albo nigrum succedaneum est, quodq. radicibus cõstat nigris, tenuibus, quarum dumtaxat est vsus.

Helleborus albus, in Fernelio legitur lib. 5. meth. cap. 10. vomitione purgat, sed maxima corporis perturbatione, & præfocationis metu ex qualitate venenata. Et lib. de abditis rerum caussis cap. 2. helleborum homini pestife-

ſtiferum, quamquam coturnices veſcantur.

Petronius in lib. de ſanitate tuenda cap. 13. Helleborum album ſine metu præberi nequit.

Mercurialis ad Auerroem lib. 1. de affectib. cap. 25. Helleborum album, inquit, conuulſiones facit, nigrum verò nequaquam.

Helleborũ nigrũ eſt innocens medicamentũ, modò ritè paretur, inquit, Eurnius lib. 2. meth. ad praxim c. 24. & cap. 21. non ſine ſumma cautione albo helleboro vtemur. Atque in lib. 2. de vict. rat. in morb. acut. text. 21. ab eodem Eurnio hæc habentur. Helleborus albus maxima parit ſympthomata, conuulſiones, lipothimias, hypercatharſes, adeò vt multi inconſideratè eo vtentes moriantur. hoc ſæculo eius vſus ſuſpectus eſt: quia ab eo plurimi in conuulſionem inciderunt. niger ve-

rò innocens eſt. Vnde Andreas Tentzelius in exegeſi chymiatrica parte 2. hellebori extractum peragens ex nigro facit non albo. quoniam cum Angelo Sala Vincentino Veneto in lib. hemetologia inſcripto, huiuſcemodi pharmacũ robori vitali maximam ſecurim inijcit.

Et denique cunctis omiſſis aliorum Doctorum teſtimonijs, Auerroes, & Arabes communiter, quos vniuerſalis ferè Medicorum Schola ad præſens ſequitur, album relinquentes, tantummodò nigrum propinant. atque id bonum, & ſalubre fuiſſe, experientia quoque magiſtra docent. ſed huiuſcemodi quæſtio alium repoſcit locum, altioremque indaginem.

Neque obſtat amplius quod ridentẽ Democritum curaturus eſſet Hipp. Quamquam enim idem Hipp. ad Damagetum in epiſt. ex admonitu Ab-

deri-

deritarum Democritum ipsum ridere referat, his verbis; Ridet, inquiunt semper, & ridere non cessat in omnibus negotijs. risus ille nihilominus, haud ex hilaritate, sed tristitia exoriebatur, atque ex contemptu rerum omnium. Vnde in altera epistola Abderitarum, etenim legitur, oblitus Democritus omnium, & primum sui ipsius, vigilans & noctu, & interdiu, & singula parua, ac magna deridens, & totam vitam nihil esse putans vitam transigit.

In epistola ad Philopœmenen, veniemus autem, loquebatur Hipp. bona fortuna, & meliore spe, velut arbitramur accedemus, prout in literis est traditum. cum non insaniam, sed quãdam excellentem mentis sanitatem vir ille declaret, dum neque liberorum, neque vxoris, neque cognatorum, neque rei familiaris, neque omnino alicuius

cuius curam gerit. Sed & diu, & noctu apud se ipsum cunsistit, & priuatim vitam degit, plerumque in antris, & solitudinibus, aut sub arborum vmbris, aut in mollibus herbis, aut apud frequentia aquarum fluenta. Contingunt igitur talia plerumque atra bile percitis: Taciturni enim aliquandò sunt, & solitarij, ac deserti amantes, & rerum familiarium conspectum auersantur, alienum putantes. Ex his omnibus colligere licet Hippocratem petijsse illud à Crateua helleborum, detulisseque ad Democritum, quod atra bile affectis, ac tristibus congruum erat. atqui hoc cum Celso superioribus nigrum est. Ergò nigrum helleborum ridenti, deridentique Democrito etiam detulit.

Ad hæc, idem Hipp. non ignorabat qua ætate esset Democritus, nempe senem esse eo temporis, vt ex Diogene in ipsius vita colligitur, atque senibus,

& pueris. & debilioribus non conuenire album helleborum antiqui pariter pronunciauerunt, cum Plin. paulò superius citato. Præterea tanquam rerum omnium ſcientiſſimus optimè etiam callebat Hipp. affectum atrabiliarium eſſe Heroum pathos cum Homero. Vnde Ariſt. probl. eadem ſect. 30. Cur homines, inquit, qui ingenio claruerunt, vel in ſtudijs phyloſophiæ, vel in Republica adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos homines fuiſſe videamus: & alios ita vt etiam atræ bilis vitijs infeſtarentur? Ceu inter Heroas Hercules fuit: Lyſander Lacedemon, Aiax, Bellerophon, Empedocles, Socrates, Plato, cœterique ſimiles. Profectò ex loci deſcriptione, vbi Democritus ad ſpeculandum ſeceſſerat: namque ſub patula, & humillima platano ſedebat (Hipp. Damageto in epiſt.

referente) in veste crassa citra humeros desinente, solus, discalceatus etiam, super lapidea sede, valde pallidus, ac macilentus, promissa barba: accumulata etiam plura animalia iuxta ipsum erant per totum resecta. Ex his, inquam, & alijs, Democritum haud hylarem tametsi rideret, sed tristitia potius conflictatum asserere necesse est.

Et hæc sunt, quæ nobis probarunt, cum Prœti filias, tum etiam Herculem, nigro helleboro, non albo fuisse sanatas. In reliquis cum Ioanne Langio in epist. 74. supra in testimonium prudita: Quam vellem vt Gerardus qui præteritis annis noui orbis insulas perlustrauit, in Anticyram quoque helleboro salubriori fœcundam nauigasset. aut Appionem Grammaticum, Pythagorica palingenesi reuiuiscere (qui vmbras Homeri, ad percunctandum qua patria, quibusue parentibus natus fer-

tur euocasse) vt nobis quoque manes pastoris, & Vatis Melampodis ab inferis accerseret, quo te Petre Castelle certiorem redderet quali helleboro, aut Sesamoide, an horum fructu, vel radice furentes Prœti filias in Archadia apud fontem Clitorium curasset. Vel Hoea mulier ex Orco remearet, Anticyræ exin dicta, cum Athenæo in dipnosoph. cap. 19. quoniam, scilicet, Nicostratus Medicus eius vir multam hellebori quãtitatem cum moriẽs reliquisset, fortasse declararet pariter qualis esset Anticyræi helleborus, à quo nomen, vel potius pronomen ipsa desumpsit. Atque ita profligata omnis quæstio esset.

Tertio tuos mi Castelle amicos, & Condiscipulos accusas, qui obiter, & potius dubitanter, quam aliàs, hellebori nomine simpliciter dicto, vtrumque significari apud Hipp. affirmabamus

mus, non autem album ſolummodò; atque huiuſcemodi erant verba mea in fol. 26. ad adnotationes Proſperi Mariani Saxolenſis. Occaſione eiuſdem dictionis φαρμακεύειν, aſſeruit præterea Martianus helleborum ſimpliciter dictum ſemper, & quandocumque apud Hipp. album ſignificare. Et quidem ante ipſum fuit hæc Gal. quoque opinio 5. aph. 1. & alibi. Quamquam ex altera parte eundem apud Hippocr. multa ſint, quæ huiuſcemodi propoſitionem in dubium reuocent: & ſic loca de inſomnijs in ordine ad inſanientes adduxi: de fracturis: primi, & ſecundi de morb. mul. etiam atque etiã à te minus æquè reprehenſa.

Quoniam, videlicet, huiuſcemodi quæſtionem apud omnes Doctores nequaquam percepiſti, ſimplici hellebori appellatione, ſemper album intelligendum eſſe in epiſtola affirmas. Quin-

D 3 imò

imò quod in homine herbariam ſcientiam profitente mirabilius eſt, in ipſo epiſtolæ titulo hæc habes: Epiſtola in qua nomine hellebori ſimpliciter prolato, tum apud Hipp. cum alios Authores, intelligendum eſſe album, declaratur. Si cum plurimis Græcorum id ſaltem aſſeruiſſes, profectò excuſatione aliqua dignus eſſes. quando in hanc ſententiam, ex nuperis, Codroncus in proprio libro deflexit: Iacobus Syluius quando ſimpl. abſol. ſcripto quid accipiendum docet. Ioannes Eurnius lib. 4. aph. Hipp. 13. Vbi Græci per helleborum, inquit, album intelligũt: Arabes verò nigrum. Duratus in Coacis agens de dorſi lumborumque affect. tex. 6. num. 7. cart. 192. Hiſtoria plantarum vniuerſalis ſuperioribus adducta: plureſq. alij; Cuiuſmodi Paul. Græcus Author & Med. lib. 7. cap. 4. ſub nomine veratri album intelligere

vide-

videtur: nec non etiam Arætæus Cappadox lib. 7. cap. de melancholia. Tametsi ex Græcis aduersari videatur Theophr. lib. 4. de hist. plantarũ cap. 6

Quidquid autem de Græcis Authoribus sit, apud omnes simplici appellatione hellebori album intelligi, quicumque dicit, is profectò multos nec legit, nec vidit Authores: atque præsertim Arabes nomine hellebori, & antonomasticè, semper nigrum intelligentes; vt Codroncus iam iam allatus, Eurnius ibidem, omnesque ferè alij in hac re conueniunt.

Latini circa hellebori appellationẽ varij sunt: atque præsertim ex recentioribus aliqui nigrum, aliqui album, & nonnulli denique vtrumq. assumunt prout nimirum Græcis, alij verò Arabibus magis addicti sunt. Æmilius Macer de herbis agens sic cecinit.

Helleborum geminas species testa-

tur habere. Albũ quod ſurſum purgat nigrumq. deorſum. Vim ſiccam, calidamque tenet: & tertius illis. Eſt in vtroque gradus. Ergò hellebori appellatione ſimpliciter, haut ſemper albũ, ſed quandoque nigrum, interdum verò vtrumque intelligitur.

Helleburorum inſuper appellationes, Ideò quidem diuerſas fuiſſe ego dicerem: quoniam diuerſis temporibus, vel vnum, vel alterũ apud homines in vſu magis fuit. Vnde Gal.tẽpore, atque per ducentos ante, vel trecentos, & amplius annos; quoniam purgatio per albũ helleborum celeberrima permãſit, vt idem confirmat ipſe Gal. lib. de atra bile cap. 7. quemadmodum in poſterũ Pauli tempore, & aliorum fortaſſe: propterea antonomaſticè, vel ſimpliciter nomine hellebori prolato album intelligebant. Contrà autem Arabum tempore, quandoquidem relicto albo propter

pter pericula, in quibus versabantur, quiquumque ipsum accipiebant, & solo nigro tanquam tutissimo vtebantur: nomine hellebori simpliciter enunciato, nigrum significabant. Et sic etiam pleræq. Academiarum, quandocumq. helleborum dicunt in suis compositionibus, nigrum vsurpant. Inter quas, exempli gratia, nobilissimum Archiathrorum Romanorum Collegium in suo doctissimè dispositio Antidotario, hellebori nomine in comp. pill. Cocchiarum, nigrum assumit. Et hoc solum Collegij testimonium sufficere tibi debuisset Castelle, vt intelligeres haud semper album, sed nigrum quãdoque simplici hellebori nomine vsurpari. Quamquam miraculum id quidem mihi non est, cum in tua disputatiuncula de duratione Medicamentòrum, aduersus Collegium tuũ ex professo etiam te scripsisse non ignorem,

In qua re, ſaltem immemorem te noluiſſem, ab eodem Nobiliſſimo Collegio Doctoratus Laurea te fuiſſe exornatum. Aduerſus Romanorũ Medicorum Collegium nihil dicere, neque patrare, iureiurando te fidem obſtrinxiſſe tuam. Et denique in eiuſdem Collegij ſedibus nonnullos reperiri, à quibus medicinæ ſcientiam perceperis: Archiatroſq. illos adeò doctos, adeòq. eruditos eſſe, vt eorum authoritatem, atque doctrinam humaniori ſcriptione reuereri debueras. Sed de his hactenus.

Hippocratis temporibus vtrumque helleborum in vſu erat: Vnde Amatus Luſitanus in Dioſc. locis dictis, Albi, & nigri radices, inquit, in vſu medico frequenter veniunt. quibus Priſci indiſcriminatim vtebantur, non plus albi radices, quam nigri ægrotis dando. Sed albi potius pro euocando vomitu, nigri

verò

verò pro aluo ſubducenda. At recentiores, & Medici ab hinc trecentis annis nigrum exhibent helleborum albũ tanquã venenum formidantes, vt Meſue in ſuis ſimpl. dicat: Albus corporibus noſtri temporis moleſtus, imó eſt eis ſicut venenum propriè præfocans. nigri autem vſque ad tempora noſtra, virtus tolerabilis eſt, licet adhuc difficilis. Cum ergò vtrumque helleborum in vſu eſſet Hipp. tempore: ſimplici eiuſdem appellatione etiam vtrumque apud eundem intelligendum, iure optimo nobis dubitare licebat.

Quod autem, & vtrumque helleborum Hipp. tempore in vſu eſſet ad morbos profligandos, præter ea, quæ modò afferebamus, luce clarius efficitur lectione eiuſdem Hipp. quando in operibus ipſius adeò frequenter nigrum vſurpatur helleborum, atque album. Nimirum nigri meminit Hipp. in 3.

de

de morb. præſertim cum de tetano, Huic inquiens catapotia ex pipere, & veratro nigro deuoranda dato.

Succeſſiuè ibidem eodem auxilio vtitur in opiſtotano.

De internis affect.cum etiam de tertio affectu typhos dictus peragitur; ſæpè verò inter eundum etiam ipſi genitura exit. huic cum ſit habuerit, ventrem nigro veratro purgato, τὴν ἄνω δηλονότι, ſupernum videlicet. infernum verò ſcammoniæ ſucco. hunc locum vel non perſpectum, vel duriori cortice tibi viſum eſſe mihi perſuadeo Caſtelle, atque propterea intactum reliqueris.

Ibidem de alio morbo craſſo. Si verò à bile morbus, legitur., veratrum deorſum purgans ipſi bibendum dato, aut ſcammoniæ ſuccum.

Et de alio hepatico affectu: Huic cũ ſic habuerit, veratrum purgans deorſum

ſum bibendum dato, cnidio cocco ſubpurgato.

Quemadmodum in 5. epid. Androphani vocis interceptione affecto veratrum nigrum fuit exhibitum, neque bilioſum prodibat, ſed modicum.

In lib. de morb. mul. 1. veratro nigro pro ſubdititio vtitur Hipp.

Ibidem veratri nigri etiam ad ſubdendum meminit.

Ad fœtum corrumpendum, & expellendum, veratri nigri tres obolos præſcripſit.

Et paulò inferius eiuſdem veratri nigri duas potiones.

Pro expulſorio mortui fœtus ibidē nigro veratro vtitur Hipp. vel ſimpliciter, vel admixtis contaridibus, & ſupponendo.

Secundo de morb. mul. fabricatur corroſiuum cum veratro nigro, & Sandaracha.

Li-

Libello de ſterilibus, ſubdititium ex melle, & nigro veratro cõponitur.

De victus rat. in morb.acutis, cum agitur de pleuritide: ſi verò ſub ſepto tranſuerſo fuerit dolor, ad clauiculam autem de ſe ſignificationẽ non præbeat aluum mollire oportet, aut veratro nigro, aut peplio.

In eodem libro paulò inferius. Ducit autem nigrum veratrum melius, & ad iudicationem commodius, quam peplium.

Ibidem ad peripneumoniam. Nux pinea, & galbanum in melle actico: Abrotanum in aceto mulſo, piper, veratrum nigrum feruefacito, & pleuritico in principijs, dum dolor vexat bibenda dato.

Et denique in lib. de Vlceribus, veratro nigro bis vtitur Hipp. ad pharmaci compoſitionem pro quodam vlcere. atque in lib. de hemorrhoid. ad

earundem curationem, nigro hellebo-
ro vtitur.

De albo autem helleboro mentionẽ reperij in Hipp. 2. de morb. in ordine ad quartanam. 3. de morb. cum de peripneumonia. primò de morb. mul. quãdo veratro, inquit, exhibito ad vomitum faciendum. & in lib. de vict. rat. in morb. acut. Vbi quiquũque infernũ ventrem calidum habent, & alui egestiones acres, & inæquales sunt, veratro albo his reuellere oportet. sicuti inferius alium affectum curando, per veratrum sursum purga legitur.

Desumpta igitur argumentatione ab vsu, cum vtroque, tam albo, quam etiam nigro vteretur Hipp. iure optimo vtrumque intelligi simplici appellatione hellebori dubitabamus.

Quamquam ex altera parte non negauerim per plura inueniri in Hipp. loca, ex quibus album solummodo, appel-

appellatione ſimplici, intelligendum videatur helleborum.

Nimirum 2. de morbis cum de ſitientibus à capite affectibus agitur: Poſtridie veratrum bibendũ dato, inquit, Hipp. deinde medicamentum deorſum purgans exhibeto.

Ibidem de alio morbo. Veratrum dato temperatum, vt ne aluum infernã moueat. quemadmodum paulò inferius, eodem modo tribus alijs vicibus hellebori meminit.

De alio morbo. Veratrum dato, ſed per inferiora aluus non moueatur.

De pituita alba. Veratrum bibendum dato. & caput purgato, & poſtea deorſum purgans bibat.

In toto inquam 2. de morbis ferè ſimplici hellebori appellatione album intelligit Hipp.

In lib. de affect. cum de ſplenis agitur affectibus, & in Vere ſurſum per

ve-

veratrum purgantur, habemus.

Ibidem de profluuio ventris: Hunc sursum versus resiccato, veratro in potu dato, & capite pituita purgato, ventrem quoque lacte cocto eluito.

De internis affect. cum de pulmone inflammato. sursum per veratrum ipsum purgabis, docebat Hipp.

Quemadmodum inferius de tribus tabis speciebus agẽdo. Et primum quidem veratrum bibendum dare, infra autem subpurgare epithimo, aut peplio, aut grano cnidio, aut titimalide.

De aqua inter cutem à splene. Hũc à principio curato, & sursum quidem veratrum exhibeto. deorsum verò Cneorum, aut hippohais succum, aut cnidium granum.

De altero morbo regio. Veratrum bibendum dato, ventrem verò infra subpurgato per succum, velut priori.

Cum de morbo crasso. Huic cum

ita habuerit, ventrem purgato, deorsum quidem per hippophaes, sursum autem per veratrum.

Secundò de morbis mul. de fuluo fluxu, veratrum ipsis dato, legitur, deinde pharmacum deorsum purgans intermissis diebus.

Inferius, pharmaco deorsum purgans dato, & si quidem potens fuerit veratro.

Cum vteri apud præcordia constiterint, suffocatur velut à veratro.

Secũdo epid. de viro Athenis à cholera capto. Hic veratrum in lentium succo bibit, & postca vomuit.

Qui ex Eubæa venit, cum purgatione sursum opus habere putaret, non validam radicem veratri bibit.

In Phœnicis affect. cum vomitus facti fuissent, & dolores auertebantur. Sed & venæ sectio proderat, & veratri potio.

Sexto

Sexto epid. in principio circiter, dolore renum affectis, veratro purgare, si iuuenes fuerint. Gal. in comm. album cum veratro interpretatur.

Lumborum dolore pertinaci affecto, & ampliori subductione, à veratro vomere spumosa multa prodest: In coacis docebat idem Hipp.

In aph. cum de veratro simpliciter semper album intellexit Gal.

Hæc sanè in rem tuam cadere, tibiq; summoperè placere mihi persuadeo Castelle. Sed quid adhęc alia dices eiusdem Hippocratis?

In lib. 1. de diæta agens Hipp. de quadam tardiori insaniæ specie: Confert itaque his, inquit, fomentis vti, & veratris expurgari. veratris inquit in plurali numero.

Quemadmodum propè finem, cum de alia specie insaniæ: Conueniens est

etiam Vere veratris purgare.

Tertio de diæta, agendo de repletione. ſi curam celerem facere velit, veratro purgandus eſt.

In lib. de inſomnijs ad præcauendá inſaniam. conducit his veratri purgatio. An vtroque helleboro non occurratur inſanis, nullus docuit, vt alio loco declaramus.

In lib. de internis affect. cum de renum morbo. huic cum ſic habuerit, elaterium bibendum dato, vel tapſiæ radicem, aut veratri, vel ſuccum ſcamoniæ.

Ibidem, morbum regium cum veratro curabis. an hicteritiæ vtrumque non conueniat? abſit à nobis hoc paradoxum. quinimo ex parte affecta indicatione ſumpta, magis nigrum, quá album in hicteritia conuenire affirmarem.

De typhode affectu, veratrum dato etiam

etiam legitur inferius.

Primo de morbis mulierum curando illas, quibus sexta die, vel septima à viro immissa prodeunt putrefacta; Curare autem oportet per veratrum, aut scammoniam, aut peplium. adducebamus hunc textum alibi, quo quid clarius?

Ibidem pro subdititio veratrum exhibet, at vtrumque veratrum subdi valet, subditumque conferat.

Ad vteri corroborationem veratri potiones duas, in vini dulcis heminis duabus dilutas infunde, docetur ibidẽ, & paulò infra repetitur.

Secundo de morbis mul. Cum sic habuerit pharmacum bibere oportet: & si quidem fortis fuerit ex veratro; si verò debilis radicem, & elaterium.

Cum vteri exciderint in recenter enixa, veratro purgare oportet, etiam inquit Hipp. & si non satis fuerit etiam

vomitus facere, & non lauari, facereq. & quiescere. Vomitum facit ab helleboro; Ergò non de albo prius loquebatur Hipp.

Cum vterus strangularit, veratrum ad nares admoueto ibidem docet. Vtrumque tamen veratrum ad hoc valere potest.

In vltimo eiusdem 2. de morb. mul. ad infusum pro dissenteria helleboro vtitur simpliciter dicto.

De sterilibus, cum menses mulieri prodierint, & prateriérint, primum quidem caput purgare oportet: deinde veratrum exhibe.

Sexto epid. sect. 5. Eum qui veratrum bibit lauare, & comedere.

Cleocho 7. epid. Veratrū bis exhibuit Hipp. & sexagesima die secunda vice. Ideoq. verisimilius de nigro, quā albo hic esse sermonem.

Calligeni, ibidem; veratrum non

profuit.

Veratrum præterea dato his quibus à capite fluxio fertur. an fluxioni vtrũque non conueniat helleborum Castelle.

Sesamoides sursũ purgat, potio eius est drachmæ dimidium in aceto mulso tritum commiscetur etiam veratris.

In lib. de articulis, cum de his qui in calcaneum vehementer, se fulciuerunt. Præstat autem, & veratrum bibendum dare. Vtrumque veratrum, quinimò nigrum, magis huic affectui conuenire valeat, vt pote alibi dicebamus.

In lib. de fracturis, curans illos, quibus femoris, aut bracchij os extra eminet. Vbi verò reponis, inquit Hipp. veratrum molle bibendum dare oportet. An femora, & bracchia per eandem partem purgationem exoptent, & vtrum eædem affectæ partes, vtroq.

helleboro ſanari non valeant? ſanè id affirmare ridiculum eſſet.

In lib. de articulis, cum de luxatióne oſſium tibiæ. & denique veratrum mihi videtur profuturum eſſe.. vt autem in tua epiſtola indicas, huiuſmodi in caſibus, diuerſo tamen modô, vtrumque helleborum expedit.

In epiſtola inſuper ad Hippocratem Democritus, his verbis alloquitur. Acceſſiſti ad nos veluti inſanos, ô, Hipp. veratrum nobis daturus perſuaſus à viris ſtolidis, apud quos labor virtutis inſania iudicabatur.

Et paulò inferius, veratrum enim ſanis datum menti tenebras offundit. inſanis autem valde prodeſſe conſueuit. Vtrumque tamen helleborum inſaniæ conuenit, necnon etiam menti tenebras offundere valet.

Et denique 2. de morb. mul. cum de tabe, veratrum bibendum eſt legitur.

tur. An album ſit veratrum, quod tabidis conducat? Profectò cum eodem Hipp. 4. aph. circa initia, nequaquam eſſe, reſpondendum. quando tabidos per inferiora, cauentes ſuperiora purgari oportere ibidem legatur. Vnde nigrum, ſimplici dictione veratri hic intelligitur. Cum etiam his omnibus accedat, quod Hipp. pluries, veratro ſurſum purga inquit. Si veratri ſimplici dictione album intelligeretur. ad quid ſuprà addere?

Ex his igitur, & alijs, vtrumque helleborum, non album ſolummodò, ſimplici dictionè veratri intelligendũ eſſe, non iniuria dubitaſſe Condiſcipulos tuos, manifeſtè apparet eruditè Caſtelle.

Et ſi amplius dubitationis originem in Hipp. quæras: An quia non omnes qui circumferuntur Hipp. nomine libri, eiuſdem ſint accroamatici, & ve-

rè

rè ipsius? Namque Gal. 6. de decretis Hipp. & Plat. cap. 3. 26. & alibi, In animo habui, inquit, commentarium scribere de germanis, verisque Hipp. libris. Ideoque vt fortasse diuersorum sunt, qui dicuntur Hipp. libri: ita etiã circa helleboros diuersæ leguntur loquendi formæ; modò scilicet nigrum modò album simplici appellatione hellebori significantes: nunc verò vtrũque, vt superioribus ad satietatem vsq; ipsi probauimus. Ab hinc amplius circiter trecentis annis, cum albo penitus excluso helleboro, nigro solum vtantur recentiores: Ergò vel vtrumque, vel nigrum potius intelligendum, quãdo helleborum simpliciter à medicis nominatur.

Ratio autem, cur albo relicto, libentius nigrum vsurpent neoterici, diuersa, & multiplex est apud medicinæ Doctores. Eurnius enim 2. meth. ad

pra-

praxim cap. 21. ex Orib. lib. 7. collect. cap. penultimo, & lib. 8. scribit veteres ab eius sæpè vsu interijsse, quod mos præparandi eos lateret: cap. autem 24. eiusdem libri Veteres, inquit, hellebori succo, alij folijs, alij semine, alij radicibus vtebantur: tandem ratione, & experientia edocti, tantum radicibus vtimur. Quare Plin. scripsit helleborũ quondam terribile, postea tam promiscuum effectum, vt plerique studiorũ gratia, ad preuidenda acrius, quæ cõmentabantur scriptitarent. Verum vt prodidit Oribasius, accuratè helleborum castigabant, & foris quoque tutò admouebant: hæc ratio ferè nos latet, cum antiquorum scripta de parando helleboro interciderint. scripsit olim eius tecmarsim Philonides Siculus Ennensis, cuius meminit Diosc. lib. 4. & Hipp. cuius scripti de helleboro adhuc initium superest. Et denique lib. 3.

meth. ad praxim cap. 8. cur autem, legitur, veteres helleboro, Elaterio, reliquisq. ſtrenuiſſimis remedijs perpetuò ferè vterentur, mitiorum ob inopiam fuiſſe exiſtimarunt quidam. Nos putamus eos audacter, & frequenter eorum vſum inijſſe, quod tutiſſimas eorum pręparationes compertas haberent, vt innuit Gal. in lib. de articulis. Horum autem ſcripta interiere; etenim Hipp. de helleboro, libri initium dumtaxat exiſtit. Scribit Dioſc. lib. 4. præparationem corporis, & hellebori, ac victus rationem ad vſum hellebori, diligenter olim deſcriptam fuiſſe à Philonide Siculo Ennenſi. foris tutò interdum helleborum balneis, & linimenmentis includebant, vt notat Oribaſius. Hinc noſtra calamitas, quod, dum mitiora ſectamur, occaſio curandi pereat, atque ex curabili, incurabile malum euadat. Attamen in vſu

magno-

magnorum pharmacorum nullus temeritati locus esse debet.

Idem Eurnius in lib. 2. de vict. rat. in morb. acut. com. tex. 21. de Helleboro albo agens. Eius vsus, inquit, hoc seculo suspectus est, quia ab eo plurimi in conuulsionem inciderunt.

Mercurialis lib. 2. prelect. cap. 8. Habuerunt veteres, inquit, & etiam tempore Hipp. varios modos exhibendi helleborum, atque præclarissimos, & tutissimos, vt narrat Oribasius 7. collect. Conqueritur tamen Gal. 3. com. de fracturis, suo tempore desijsse modum præparandi helleborum, eo quod Hipp. eum non tradidisset.

Nonnulli autem hellebori albi vsũ proinde dubium suspicãtur: quoniam corpora nostra hisce temporibus aliquatenus eneruata, vberiorem illius euacuationem perpeti non valent. atq. huius sententiæ Mesue, & Amatus Lusitanus

sitanus præsertim fuere, si rectè recolor, cum aliquibus alijs. Quæ tamen sententia difficillimæ probationis est: quando cum Manilio Astronomicon primò.

At manet incolumis mundus, suaque omnia seruat,
Idem semper erit, quoniam semper fuit idem.

De eodem helleboro mirabilia referunt Apoll. de mirab. hist. Atque Theophrastus cap. 18. lib. 9. de histor. plant. Nimirum Eudemum Chium duas, & viginti hellebori potiones, in foro, vna die hausisse, nec quicquam purgatum esse, tum verò iuit lotum, & cœnatum, vti consueuerat, neque vomuit. Mercurial. lib. 2. variarũ lectionum cap. 25. id in consuetudinem retulit: Quamquam id ita factum ab eodem Eudemo refert Theophr. ibidem, vt post septimam potionem pumicis

puluerem aceto subactam ad comprimendum hellebori vim, bibisset.

Quidquid autem sit de his, satis superq. probatum mihi sufficiat, falsissimũ esse apud omnes simplici hellebori appellatione album intelligi, vt tu ipse Castelle in prima ipsa Epistolæ facie asseuerando errasti: Quinimò apud ipsummet Hipp. res adeò est controuersa, vt qui nos reprehendis, Hippocratem ipsum reprehendere videaris.

Neque obstant, quæ ipse opinionis tuæ confirmandæ gratia, insuper ais. Quandoquidem, tametsi in lib. de veratri vsu Hipp. de superna purgatione, vt plurimum agat: nihilominus, vt ipse affirmas, de eadem non semper: cum in fine hæc habeat, quando de Sesamoide agit, commiscetur etiam veratris tertia potionis pars, & minus suffocat. Veratris, inquit, τοῖς ἐλλεβορόις græcè, & in plurali numero. Ergò de

vtroque

vtroque helleboro etiam fortaſſe ibidem Hipp. agebat.

In fol. 13. Epiſtolæ, quamquam, inquis, in numero plurali, & veratris dicat Hipp. nihilominus de veratro albo intelligit: Seſamoidem nimirum veratris admiſceri, vt non ſuffocet, veratrum album ſcilicet. Sed quis quæsò vocũ nexus ſit iſte? Veratris per te admiſcetur Seſamoides, vt non ſuffocet. vt non ſuffocent; ſi de helleboris intelligit Hipp. legendum eſſet. Enimuerò à viro qui herbariam ſcientiam maximè ſibi vindicat, hic locus abſquè maiori explicatione relinquendus non erat.

Quomodocumque autem id ſe habeat, licet in hoc eodem libello de Veratro, de vomitatorijs plurimum ſcripta legantur: attamen docturos Hipp. hellebori vſum, & in ordine ad inſanientes, veriſimile eſt etiam de nigro verba feciſſe. Non legimus autem æquè copio-

copiosam de nigro, atque de albo ibidem tractationem; quoniam, inquit Eurnius in arg. ad com. de purgatorijs remedijs, Hipp. existimo hunc librum de helleboro olim scriptum fuisse, ac totum interijsse, excepto hoc eius initio. Neque hoc mirum videri debet; cum tot calamitatibus hactenus attrita fuerint Hippocratica scripta. Posteaquam enim conflgrasset bibliotheca Alexandrina, & quæ ex Hipp. scriptis restibilia erant collegissent Artemidorus Capito, & cognatus eius Diosc. Alexandrini, Adriani Imperatoris têporibus, plurimum ipsi intulere damni deprauando.

Accedunt his barbara tempora, cũ labente Rom. Imperio, tota litteratura ad Arabas in Marocum translata fuit ab Almansore Rege, extincto græcæ, ac latinæ linguæ nitore. Hæ tenebræ perennarũt vsque ad Gratiani, Decreta-

lium Authoris tempora, cum Salernitana Schola Hippocratis aphorismos ex Arabica, in latinam fœdè linguam translatos cognoscere cœpit. Quarè minimè mirum, si quædam interciderint, & quædam mutila, ac lacera, ad nos deuenerint.

Secundò in fol. 14. Ideò etiam helleborum album simplici appellatione intelligendum esse concludis: quoniã in vnoquoque genere semper id, quod præstantius intelligendum est. Sed album nigro præstantius. ergó.

Minor falsissima est, tum quia si album præstantius, frequentius quoque in vsu esset, quam nigrum, quod non videtur. tum etiam quia album, & nigrum helleborum comprehenduntur sub genere generalissimo, at non subalterno: quando album per superiora, nigrum verò per inferiora purget.

Et denique recedere non deberes à

do-

doctrina Martiani tui Charissimi docentis nimirũ in explicatione sui aph. concocta, appellationem medicamentorum ab vsu deriuari. Sed sic est non semper album, nigro vsitatiorẽ fuisse. Ergò falsa est propositio tua, hellebori simpliciter appellatione semper, & quandocumque album intelligendum esse: quando vt superius luce clarius probabamus, apud Arabes nigrum, & frequenter, quin etiam apud Latinos, ac nonnullos Græcos vtrumque intelligitur. Quinimò & hoc ipsum pariter apud Hipp. valdè dubitabile est. cum non album solummodò, sed nigrum quoque ipse vsurparet.

Tertio in fol. 15. Ideo semper nomine hellebori simpliciter apud Hipp. album intelligendum esse ais: quoniã loquuturus de helleboro albo, raro albi cognomen addidit. cum autem de nigro, semper ipsum distinguit.

Diſtinguitur ſanè ſecundum ſubie-ctam materiam, modumque loquen-di, non autem cognomento ſemper nigrum helleborum iuxta Hipp. in lib. de internis affect. vbi curaturus alium morbum craſſum, veratrum inquit deorſum purgans ipſi bibendum dato. Ibidem cum de alio agitur hepatico affectu: Huic cum ſic habuerit, vera-trum purgans deorſum bibendum da-to, & cnidio cocco ſubpurgato. Qui tamen loquendi modus in Hipp. non magis de nigro fuit, quam de albo. Vnde in 2. de morb. cum de alio mor-bo; Veratrum, inquit, dato tempera-tum, vt nè aluum moueat. In lib. de affect. cum de ſplenis agitur affectibus: Et in Vere ſurſum per veratrum pur-ga. Ibidem, Hunc ſurſum reſiccato exhibito veratro. De internis affect. cum de pulmone inflammato, ſurſum per veratrum purgabis. Sed pluries

hunc

hunc loquendi modum in Hipp. reperiemus.

Quarto, vnde notate, inquis in fol. 24. non ſolet Hipp. æquiuocè loqui in re præſertim tanti momenti. Abſtinuiſſet opinor Marſilius Cagnatus Doctor noſter iuxtà modeſtus, ac ſapiens vir, ſi iam viueret, notate dicere. Tu verò qui Marſilius non es, confidentiſſimum iſtud notatè, non ſine nota æqualium, & condiſcipulorum auribus tuorum inculcas. Profectò nobis notate dicere inſufficiens es tu Caſtelle.

Ad rem autem, Hippocratem ſi bene animaduertas, ſexcentis in locis, vt ità dicam. æquiuocè loquutũ inuenies.

Quando enim noſceremus, ſubiungis, quando albo, & quando nigro vtendum, ſi ſimplex hellebori vox vtrumque æque ſignificaret?

Reſpondetur ſecundum ſubiectam materiam, atque per verba anteceden-

tia, vel ſubſequentia facillimè noſci.

An eadem vtriuſque vis etiam quæris?

In ordine ad finem, ſanè eadem ferè, quando eiſdem proſit nigrum affectibus, atque album: in ordine autem ad modum, nequaquam; cum album per ſuperiora, nigrum verò per inferiora purget.

An alterum pro altero indiſtinctè ſumi poſſit?

Amatus Luſitanus in enarrat. in Dioſcor. ſuperius adductus, Albi radices, & nigri, inquit, in vſu medico frequenter veniunt, quibus Priſci indiſcriminatim vtebantur, non plus albi radices, quam nigri ægrotis dando. Sed albi potius pro euocando vomitu: nigri verò pro aluo ſubducenda. Et ſic nullam ponimus in Hipp. confuſionẽ, nullumque crimen, ſiue falſum, vt ipſe pluribus in epiſtola loqueris.

Sed

Sed accedamus ad reliqua, de ſimplici dictione hellebori, vt dubitaremus quatuor præſertim Hipp. loca in cauſſa fuere. nimirum primus in lib. de inſomnijs in ordine ad inſanientes erat. Secundus in lib. de fracturis. tertius & quartus in lib. de morb. mul.

Circa primum ex lib. de inſomnijs, ita loquebamur in fol. 26. In ordine ad inſanientes helleborum adducitur ſine vlla adiectione, in quo caſu affirmandnm eſt, vel de vtroque Hipp. orationem fuiſſe, vel potius de nigro ſolum: cum ad inſaniam conferre nigrum etiam referat Dioſc. non autem album, vt videre eſt lib. 4. ſuperius allegato tex. 134.

Ad hæc conaris primò cum Hipp. ipſo demonſtrare, nequaquam de vtroque, at de albo tantummodò hic intellexiſſe eundem Hippocratem. Et primò quoniam purgatio ibidem per vo-

mitum quæratur, non verò per inferiora.

Sanè ad insaniam præcauendam conferre interdum vomitum non irem inficias: at nigrum quandoque magis congruere, nec etiam negari potest. Vnde cum Hipp. omnibus autem, inquit ibidem, conducit, vt veratro purgati, optimam victus rationem instituant, de vtroque helleboro sentiendum est: nimirum prout nigrum, vel album indicari magis videbitur; ita etiam à Medicis vnum, vel alterum offerendum esse. quando de alijs insomnijs inferius, Mare perturbatum, legitur, ventris morbum significat; sed oportet aluum mouentibus, leuibusq. & mollibus expurgare. ita etiam bilis illa, ex qua insania periculosa est ne succedat; prout in vno, vel altero loco reperietur, cum vtroque veratro euacuanda est. Et sic defenditur primus

locus

locus de inſomnijs à me adductus.

Quem eundem Hipp. locum, ideò, amplius, vtri helleboro, ſiue potius nigro magis fauere affirmabamus, quod Dioſc. nigrum inſanis prodeſſe retulit, non autem album. hanc tamẽ coniecturam meam fallacem aſſeris, cum Dioſc. albi veratri facultates intactas reliquerit, atque lectorem ad Philonidem Siculum remittat, & ne longior ſit, illiq. aſſentiri nunc dicit.

Sanè coniectura mea in Dioſc. ſi fallax, tua in hac re de Philonide Siculo fallaciſſima eſt. quando in eodem quoque Dioſc. legere poteras ad Philonidem Siculum ſe remittere circa hellebori albi apparatum, victuſque rationem, haud verò eiuſdem facultates, vel vires. Et ad maiorem claritatem huiuſcemodi ſunt Dioſc. verba lib. 4. cap. 40. Apparatus autem, inſuperque victus ratio vtentibus accommodata

dili-

diligenter ab ijs tradita eſt, qui ex profeſſo de ipſius doſi ſcriptitarunt. Sed maximè Philonidæ Siculo Ennæo aſſentimur. Nõ igitur ſe remittit Dioſc. ad Philonidem Siculum circa vires, facultateſque albi hellebori, vt tu ipſe ſomnias Caſtelle, noſtramque coniecturam impugnando fallaciter coniecturaſti.

Et quoniam inſuper ex Dioſcoride nigrum helleborum, non verò album pro inſanis laudari, recenſebamus, tu qui dicendi occaſionem quæritabas, vel potiùs alios couincijs vrgere profiteris, album ad inſaniam valere aduerſus me probare niteris: at quorſum ego neſcio, cum huiuſcemodi propoſitionem haudquaquam negauerim: quẽadmodum vnuſquiſque volens in literis meis ad Martianum ſcriptis perſpicere poterit.

Sed quid illud quod fol. 16. ais: Album

bum nimirum helleborum insanientium esse proprium enuncians. Ergò nigrum per accidens fortasse? Et nihilominus vtrumque helleborum humores extrahit, ex quibus insaniæ proficiscuntur.

Ideò album helleborum insanis proprium esse concludis, quoniam ex Hipp. 1. de diæta, confert habemus insanis fomentis vti, & à fomentis veratro expurgari. Ergò ex his tuis dictis indifferenter cuicumque insaniæ veratrum album conueniret? Atqui superioribus contrà, aliàs nigro, aliàs verò albo, cum Celso, in insanis vtendum est: prout nimirum tristes, vel hylares erint, confirmabas. Accedens præterea insanos minus hilaritate concomitari, quam tristitia, vt multorum quoque exempla confirmant.

Atque primũ Orestis, de quo Ouid. lib. 1. de tristibus ita cecinit.

Vt

Ut foret exemplum veri Phocæus amoris,
Fecerunt furiæ tristis Oræste tuæ.

Et Virg. lib. 4. Æneid.

Aut Agamemnonius scenis agitatus Oræstes
Armatam facibus matrem, & serpentibus atris
Quum fugit, vltricesque sedent in limine diræ.

Secundo loco accedit Pentheus, de quo Lucanus lib. 7.

Nec magis attonitos animi sensere tumultus,
Cum fureret Pentheus, aut cum desecisset Agaue.

Aiax Thelamonis filius propter arma Achillis mortui in virtutis præmiũ Vlyssi data, dolore animi, & inuidia, in furorem versus, armenta loro cedebat, existimans se interficere Græcos. Vnde Apul. in Metam.

In

In insani modum Aiacis armatus,
Vt non ille viuis pecoribus infestus,
Tot laniauit armenta,

Et ne longiori oratione grauis tibi sim; pleni sunt quà Poetarum, quà historicorum libri furiosorum exemplis, qui minimè hylares, verum è cõtra tristes magis fuisse leguntur. Milonem Epyrotam, Athamum Æoli filium. Agauem Cadmi, & Herimones filium. Lycurgum Dryantis filium, Regemque Thraciæ. Marsyam. Alchmeoniem Amphiarai, & Eryphilis filium. Cleomedem Astypolensem. Charem qui in bello Cyrum vulnerauit. Euagoram Cypriorum Regem. Timantem Cleonæum. Accam mulierem. Pysandrum. Cambysem. Harthbenum Athletam. Lucretium Poetam, atque huiusmodi alios quis ignorat?

Sed quid ego huiusmodi petam exem-

exempla ? furor, mania, vel insania, quæ idem sunt apud Cœl. Aurel. lib. 1. Chronicon cap. 5. & alios, potissimum ex assata bile proficiscuntur. At hæc tristitiam infert, vt supra declarabatur. Ergò insania per se, vtque insania, tristitia vt plurimum afficit, per accidens verò, & rarò hilaritate. Vnde furentibus nigra magis, quam alba congruant hellebora; & magis propria denique erunt, contra ea quæ mordicus Castelle censes. Cum etiam ex dicto Cœliq. Aurel. ibidem, maniam Græci ex eo dicant, quod ægrotis magnam faciat anxietatem, vel quod animum, siue mentem vltra modum laxet. manon enim dimissum, siue mollem appellant: vel certè quod polluat ægrotãtes: nam pollui Græci lymænin vocant: vel certè quod desertam, siue solitudinem cupientes faciat ægrotos: nam Græci ftitui, atque solitudinem

petere , monusthæ dicunt.

Secundus locus de simplici veratri dictione in dubitationem me ingerens, erat in lib. de fract. vbi præstat veratrũ, inquit Hipp. in ijs, qui vehementer se in calcaneum fulciuerunt, ex alto loco saltantes, eadem die, vel certè posteriori præbere. Cum autem ex Hipp. in aph. lib. 4. 18. Dolores quiquunque sint supra præcordia, per superiora purgari oportere significant; qui verò infra, per inferiora. Ergò concludebamus, de veratro per inferiora purgante intelligebat etiam hic Hipp. ne ab aph. discors esset.

Ad hæc distinctione respondes: quã quam, scilicet, calcaneum sit affectum, reuulsionis caussa, euacuationem per superiora adhiberi, cum reuulsio per contraria fiat. cum autem est purgandum, subiungis in fol. 19. Concedo quæ sunt supra præcordia superius,

quæ

quæ infra inferius purganda.

Sed ex hac tua loquutione nosse velim, in quo differat purgatio à reuulsione. an quia idem non possit reuellere, & purgare simul? sanè vt fateris purgatio, & reuulsio non semper contraria sunt; quinimò interdum idem. Sed magis propriè loquẽdo fortasse euacuare dicere intendebas. differt nimirum reuulsio ab euacuatione: quoniam euacuatio in parte propria affecta celebratur; reuulsio vero in parte contraria, ἀντίσπασις hæc, illa verò κένωσις græcè appellatur.

Sed ad rem nostram redeamus, cum Hipp. in aph. Doloribus infra septum existentibus per inferiora purgandum docuit, supra verò per superiora. purgandum, inquit Hipp. & per inferiora hic intelligendum. Vnde nigro, non verò albo etiam vsum fuisse verisimile est.

Obla-

Oblato amplius aliquo affectu semper primò reuellendum in eodem loco ipse indicas, nempe ibidē pag. 19. Ergò in insanis, in quibus caput affici etiam affirmas, primò, & principaliter per inferiora cū nigro veratro pro reuulsione semper purgandum. Et sic ignorē sanè, vtrum ego, an tu ipse in Dædali labyrintho reperiaris. Iudicium esto sapientum.

Vltima dubitatio insinuabatur nobis ex lib. 2. de morb. mul. in quo talia verba Hipp. leguntur, cum de altero fluxu enunciatio fit. Cum sic habuerit, pharmacum deorsum bibere oportet, si quidem fortis fuerit ex veratro; si verò debilis, radicem, & elaterium. Sed elaterium per inferiora purgat. Ergò de veratro infere etiam purgante intelligendum est hic veratrum simpliciter nominatum.

Ad hæc respondens aliam proponis

quæstionem, & vomitatorijs videlicet deiectoria substitui valere. Quãuis ergò elaterium per inferiora purget, substituitur, inquis, elaterium veratro albo, tanquam in debilioribus disconuenieñti medicamento. Sed cur elaterium infernè purgans veratro albo substituitur? an quia non erant leuiora vomitatoria? profectò huiuscemodi non tibi suffragatur subterfugium. Ideoq. aliud petẽs, elaterium inquis per superiora etiã purgare: Quinimo & nos elaterium supponis asserere per inferiora solùm purgare. Sed res aliter se habet, & claritatis ratione hæc sunt verba mea ad Martianum in fol. 27. Cũ sic habuerit, docebat Hipp. pharmacum bibere oportet, si quidem fortis fuerit ex veratro, si verò debilis radicem, & elateriũ. Elaterium verò per inferiora purgat, quẽadmodum & idem Hipp. docuit in lib. de internis affect. vel alibi. Reperitur

nè

nè hic dictio solum? Cur ergò falsa amicis tuis Castelle tribuis? sed vt puto hanc nactus occasionẽ ostentare volebas te scire, elaterium per superiora quoque purgare: haud tamen ipse negaueris, eidem medicamento propriũ esse magis per inferiora purgare, quam per superiora, vt Erotianus in Onomastico, ἐλατήρια interpraetatur, communiter pharmaca inferioris ventris partes purgantia, atque Gal. idem Clarius confirmans, in Exegesi vocum, nõ modo dicit ex Syluestri cucumere factum esse elaterium: sed quidquid per infernas partes purgat sic dici. Vnde Ianus Cornarius Hipp. interpres plerumque elaterium, medicamentum deorsum purgans vertit, vt videre est in lib. de locis in homine pag. 69. vers. 41. lib. de intern. affect. 197. vers. 37. 5. epid. cum de Eupolemi morbo, & alibi saepius.

Et haec sufficiant ad ea quae aliqua

responsione digna mihi visa fuere. Caetera quæ de Marsilio Cagnato, de Phylandro Colutio, & alijs inutiliter asseruisti, responsione haud indigent. Vanitas vanitatum, vt ait diuinum oraculum, & omnia vanitas. Sic vale, vale iterumque vale, amantissime semper, & Condiscipule Castelle.

FINIS.